



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||**

**Erasmus, Desiderius**

**Basileae, 1518**

**VD16 E 3644**

Ioannis Baptistae Egnatii Veneti, In C. Svetonivm Tranqvlilvm  
Annotationes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14277**

# IOANNIS BAPTISTAE

EGNATII VENETI, IN C. SVETONIVM TRAN  
QVLIVM ANNOTATIONES.

EGNATIVS LECTORI.



NON AB RE futurum existimaui, quādo hoc totum industriā dicatū est à me bonis, ac literatis uiris, si quos locos, aut in melius emendaui, aut dilucidius explicauī, subnecterē, eosq; nullo maiore uerborū apparatu, aut copia publicarem: tum quod nec otij satis erat longe maioribus districto: tum quod ab ostē tatione semper absui, quæ cum in omni re odiosa sit, tum in rebus paruis odiosissima esse iure solet. Accedit ad hæc, quod doceri tantū lectoris hoc tempore uolui, quos eo mihi æquiores futuros arbitrabar, quo maturius illos dimissem: properantes uidelicet & in hæc, ut ex iusto itinere uiatores, ocij causa diuertentes.

EX D. CAESARE.

FORŪ de manubijs inchoauit, cuius area sup H-S millies constitit. Tameſi latini scriptores ad hanc diē corruptissimi magna ex parte sint: quædā etiā adeo obscura, ut nec ab eruditioribus intelligi queant: ea tamē pars, quæ ad nmeros spectat, & corruptissima ad nos tranſiit, & nullis adhuc satis cognita, aut percepta uideri poterat. Attulit autē huic malo opem primus (quod ipse scia) Leonardus Portius, Vincētina nobilitatis præcipuū decus, libello iam abhinc quinquennium huic uni rei destinato: in quo summa breuitate, & diluciditate præſcos numeros, argenti, & auri usum apud ueteres, numismata, & eorū præciū ac nomina attingit. Quæ palma tanto illum illustriorem fecit, quāto res obscurissima illustrata eius opera plus negocij habuit. Quotus enim quisq; ex ijs, qui humaniores literas profitentur, fuit: qui rem tam perplexam attingeret? Quis cum ad hanc partē uenisset, aut codicum fidem nõ requireret, aut rem omnem planē non dissimularet: sed nec ipsi autores satis constantes erant: & notæ, rerūq; uocabula sic uel corrupta, uel perplexa, ut desperata semel re, iam neglectui haberetur, patrocinate sibi adinuicem multorum inscitia: quæ tacito præiudicio summā causæ difficultatem prærendens, Areopagitarū more in centum annos rem acquirendā pronūciaret: ut huiusmodi cunctatione, nec ipsa se proderet, & differendo inexplicabile negociū relinqueret. Nos igitur, ut ingenue fateamur, Portium secuti, mille H-S, non millies legendū existimamus: quoniam ea summa fidem omnē excedat: nam si millies H-S legas, erit tanta pecuniæ uis p̄fusa, ut iniri ratio uix possit, sed & à Plinio dissentiet, qui de hac Cæsaris magnificentiā loquens, ita scripsit. Pyramides regum miramur opera: cum solum tantum foro extruendo H-S mille ducētis Cæsar dictator emerit, hoc est xxx aureorum nostratium. Qua de ratione aliās inferius.

Idem Tranquillus sic de triumpho Cæsaris scribit: Ascenditq; capitolium ad lumina XL elephantis dextra, atq; sinistra lychnos gestatibus .nos pro lychnis lychnuchos

lychnuchos substituiamus, & ueterū codicum fidem secuti, & uim uerbi. Primū enim usitatum hoc græcis est uerbum, Athenæi autoritate, quæ lucernam significet, uel Alexidis Comici poetæ testimonio Midone

» ὁς πρῶτος ἐνὸν μετὰ λυχνούχου περιπατῆρ  
 » τῆς νυκτὸς, ἢ τῆς κηδεμῶν τῶν δακτύλων. hoc est,  
 Qui nocte lychnuchum ambulans gessit manu,  
 Profecto digitis plurimum is cauit suis.

Nec Lucretius aliud innuit pulcherrimis illis uersibus.

» Si non aurea sunt iuuenum simulachra per ædes  
 » Lampades igniferas manibus retinentia dextris,  
 » Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur.  
 » Nec domus argento fulgens, auróq; renidet,  
 » Nec citharis reboant laqueata, auratáq; templa.

Hæc ὄνομα nominū forma usitata græcis: unde ceruchon, sceptuchon, ophiuchon. Iam & C. Plin. lychnuchos pensiles dixit, quod & Hermolaus noster agnoscit, uetere etiā lapide suffragante hoc titulo, Panthei cū suis paregeis, & cupidines duo cū suis lychnūcheis. Quod monumentū cū primus obseruasset Politianus uir eruditione multa, Tranquilli locū primus (ut opinor) emendauit. quare Ciri- nitus docti, & probi uiri officio functus, ueteri possessori fundū uendicauit, non multorum more.

Conuentibusq; peractis Rauennæ substitit. Citantur à Cómentarijs in ostē- rationem ueterū autoritates, nec tamen satis erudite adhuc (quod sciam) qui sit peragere conuētus explicant. nos ne non omnia cōmuni demus utilitati, perage- re conuentus nihil aliud esse contendimus, quàm iurisdictionem legitimā ab- soluere per oppida ad id destinata: quæ quando in ea statis temporibus conue- niretur à prouincialibus causa iuris sui persequendi, conuētus dicerentur. repræ- sentant aut hūc morem anno uertente religiosi fratres capitula appellantes. re- præsentant etiā maxime omnium Galli parliamentis iam quatuor institutis: quorū præcipuum urbis amplitudine, & autoritate Parisiense habeat. Iam & ueterum fuere uxoriæ stipulationes, quæ conuenire in manum per coemptio- nem dicerentur: de quibus aliās.

» Quid illud, quod postea sequitur: Sed ante alias dilexit Marci Bruti matrē,  
 » Cui & proximo suo consulatu sexagies H-S margaritā mercatus est. Quæ sum-  
 ma centū quinquaginta millia nostrorū aureorū facit, quando ille Cleopatrar  
 unio cēties H-S æstimat<sup>9</sup> sit, id est aureis ducētis quinquaginta millib<sup>9</sup> nostratib<sup>9</sup>.

Sequitur non longe ab hinc locus ut maioris corruptionis, sic etiā industriæ, cum hæctenus ita sit lectum: sed maxime dilexit Cleopatrá, cum qua & conui- uia in primam lucem protraxit, & eadem naue, thalamóq; penè Aethiopia te- nus Aegyptum penetrauit. Vbi pro Thalamóq; thalamego legēdum esse nul- li dubiū esse possit. est autem Thalamegus nauis à Philopatore Aegyptio rei- ge primū fabricata, qua Nilum, & Aegypti fossas nauigare, eo usu, ut intra tha- lamū in regia sibi esse uideretur: magnitudine semistadij, latitudine cubitorum

xxx & amplius, nec longis nauibus, nec rotundis omnino similis: prora, pup-  
 picq; duplici, fundo lato, planóq; quali forma fluuiatiles sunt ferè omnes. Stra-  
 bonis interpres thalamiferas naues hæc appellauit, quibus Aegyptij frequen-  
 ter uterent solati causa. Visitur & Venetijs in patria nauis, huic Aegyptiæ per-  
 similis, cui Bucentauro est nomen: qua Princeps, & Senatus uehi solent occur-  
 suri principibus uiris augustissima specie. Plinius septimo, uittata nauis memi-  
 nit, quam Græci, & Sophodes in primis (uti opinor) ποικιλοσέλομ dixere, quæ &  
 ipsa maiore ornatu spectaret: qua ferunt à Dionysio Platonem exceptum, ho-  
 noris gratia.

Nec illud omittendū est, in quod sædissime lapsi sunt interpretes unius lité-  
 ra additione: ubi enim aquilifer legendū erat, aquilifero legerunt, sensu nullo,  
 pariter & inepto. Tu itaq; ita leges, ut aquilifer moranti Cæsari cuspide sit mi-  
 natus: eo sensu, ut cū Cæsar inclinatam aciem restituere omnino uellet, tanta cō-  
 stantia fugientibus obstiterit, ut aquilifer detinenti eum Cæsari cuspide sit mi-  
 natus, & alter in manu detinentis signum reliquerit.

Illud est quod Commentarij aut nō obseruauerūt, aut minus intellexerunt:  
 ubi de auro promercali Tranquillus agit, occupato altero ex his in ui uerbi ex-  
 plicanda, nec sensum satis attendente. Quid igitur est, quod Tranquillus dicat  
 tanta auri copia abundasse Cæsarem, ut ternis millibus numūm aurū promer-  
 cale per Italiā, prouinciasq; diuenderet: an quaternis millibus legendum est, ut  
 argenti proportio ad aurum decupla fuerit: quaterna enim millia numūm ar-  
 genteorum, centum aureos nostrates ualent, non tamen solidos, id est dempto  
 lagio, ut uerbum hoc usurpè uulgare: an ternis omnino millibus tueare: ut hæc  
 ratione tria numūm millia septem libras, & selibram conficiāt, id est septuagin-  
 taquinq; Venetos aureos: ut tantam auri uim ex gallicis spolijs Romæ inue-  
 ctam putes, ut auri precium imminueretur, argenti cresceret. Nostra autem æta-  
 te auri mirum in modum creuit precium, ut propè Plinianā analogiam æquet:  
 qui eam proportionem argenti ad aurum facit, quæ est quindecim ad unum,  
 cum iusta uideatur ea, quæ est duodecim ad unum.

» Veteranis legionibus, quæq; sequunt. hic locus mutilatus uideri pōt uel Ap-  
 » piani lectione. ille nāq; de Cæsare dictatore loquens, Statim. inquit, post trium-  
 » phum quæcūq; exercitui pollicitus fuerat, ampliore adhuc pecunia exoluit mi-  
 » liti drachmarū atticarū quina millia, Turmæ ductori bis totidē, Tribunis mili-  
 » tū, equitibusq; duplo maius, ad hæc singulis ex populo minā unā atticā. Hæc  
 » Appiani uerba dissentire à Tranquillo maxime uident, nō quod in populi con-  
 » giario nō cōueniant: mina em̄ attica, id est argentea libra Romana quadringē-  
 » tos numos H-S ualet, id est denarios centū. reliqua adeo discrepāt, ut quod Ap-  
 » pianus quina millia drachmarū militi data à Cæsare dicit, equiti duplo maius,  
 » Trāquillus de pedite reticeat, de equite nō conueniat. nā ex Appiani sententia  
 » dena millia drachmarum data equiti necesse est, quæ Trāquillus ad sena millia  
 » reducit. Nec mirū uideri debeat, quod de magnitudine militaris donatiui refe-  
 » rim⁹, cū Plutarcho autore Antonius triumphauit quina millia drachmarū singulis  
 » militibus

militibus post aciem Philippensem dederit.

Inoleuit & ille iam pridem error Tranquilli codicibus, nec satis à Commentarijs animaduersus, ut ubi Attilij electra citatur, Accij legeretur. Fuit autē uetus Comœdiarū scriptor, hoc nomine satis celebris: quē tamē ut duriusculū Cicero in epistolis ad Atticum incessit. Sed & Licinius scriptorem ferreum appellare solitus est, quod dum Tragœdias ex Sophode in latinum uerteret, durio rem se præstaret. scripsit autē hic Electram ex Sophode, unde carmina illa in interfectores cantata Tranquillus scribit. Volcatius Sedigitus Attilium poetam Comicum maxime laudat, qui nescio an hic fuerit.

EX AVGVSTO.

Senatorum censum ampliavit, ac pro octingentorū milliū summa duodecimes H-S taxauit. Ingenui, inquit ille, est hominis, fateri, per quem didiceris. & me herde hunc locum per obscurum, nec ulli quod legerim, cognitū Budeus ex Gallia uir à secretis Regis primarius feliciter attigit. cuius eò libentius mentionem facio, quod annotationibus suis in Pandectas antea satis celebris, & translationibus quibusdā Plutarchi nobilis, nuper editis quinque de asse & partibus eius libris adeo clarus euasit, ut non possit non summopere ab omnibus commœdari. qui duodecies H-S & centies & millies differre plurimum à duodecim, centū, & mille docuerit. cuius sententiam eò libentius sequor, quod non minus doctrinæ præ se fert quàm cādoris. Erit hic igitur sensus, ut Augustus princeps ab octingentis H-S, quæ summa antea census erat senatorij, ad mille dūcēta reduxerit.

Stephanionē Togatarium. Vide ne multo melius Togatarū legas, & intelligas actorem, usitata loquendi figura, & latina.

Etiam sparfos de se in curia famolos libellos nec expauit. famosi libelli qui qualescūque sint, quauē afficiendi pœna, qui eos factitant, Iurisperiti libro digestorū XLVI. illud ex eorum lectione non prætermiserim. Verba Ulpiani sunt ex eodem libro. Hæc autē sunt ferè, quæ ad infamiam alicuius fiunt, ut puta si quis ad inuidiam alicuius ueste lugubri utatur, aut squalida: aut si barbam dimittat, uel capillū submittat: aut si carmen cōscribat, uel proponat, uel cāter aliquid, quod pudorē alicuius lædat. Sed & Pauli uerba ad hanc rem spectantia, quia digna memoratu sunt, subnectam. Eum qui nocentem infamauit, non esse bonum, & æquum infamari: peccata enim nocentium nota esse, & oportere, & expedire. Primus autem Augustus cognitionem hanc sub specie legis eius, quæ de lesa maiestate quærit, exercuit.

Tiberium in foro lege curiata adoptauit, parco libenter uiuentiū nominibus, libentius autē mortuorū. Citant nāq; à Commentarijs passim autores, qui curiata legis meminerint: nec tamen quid illa sit, tandem explicatur. Tu ex selectis nostris in Ciceronis epistolas, quæ primus ipse (quod sciam) ediderim, pete: nec enim iniucunda fuerint.

Verum adhibito honoribus modo, bifariam laudatus est, pro æde D. Iulij à Tiberio, & pro rostris ueteribus. sic hæcten⁹ omnes. Tu ita castigabis, & pro rostris sub ueteribus, qui locus erat in foro quæadmodum & sub nouis. Vtriusq; autem loci

autem loci meminerunt ueteres autores, Plinius libro xxxv.

- Hinc & ille iocus Marci Craffi agentis sub ueteribus, & inferius mœniana inquit operiebat Serapionis fabula sub ueteribus. Plautus.
- Sub ueteribus ibi sunt qui dant, quiq; accipiunt scenore. de loco autem qui sub nouis dicebatur, Marcus Varro, sub nouis inquit, dicta pars in foro, ædificiorum, quod uocabulum eius peruetustum, ut nouæ uia, quæ uia iam dudum uetus est. Liuius quoq; filiam Virginius seducit ad nutricem propè Cloacinâ, ad tabernas, quibus nunc nouis est nomen.
- Legauit Po. Ro. cccc m. Tribubus xxxv s+1, pratorianis militibus singula millia numerorum. Hic locus, qui Augusti principis legata cõtinebat, admonere quæuis uel oscitantem poterat, maximâ esse summâ pecuniæ, quæ populo, quæue plebi Romanæ legaretur. nam populo, id est patribus, equitibus, & honestioribus plebeijs (hoc enim nomine hosce contineri, uel illa usitata loquendi forma S. P. q; Roma. ostendere potest) legatum est ab Augusto ccccm HS id est decies centena millia aureorum nostrorû, quod nos millionum dicimus: plebi autè, id est infimis planè hominibus, & mēdicioribus xxxv, id est octuaginta septem & amplius aureorum nostratium. quod & Taciti uerba in primo historiarum planè significant, cum scribit legata non ultra ciuilem modum, nisi quod populo & plebi ccccm. xxxv, pratorianarum cohortium militibus singula nummum millia: legionarijs autem cohortibus ciuium Romanorû, trece nos numos uiritim dedit. Quinetiam illud, quod sequitur profectus non plus peruenturum ad hæredes suos, quàm millies & quingenties: si ad summam nostram deducas, facient tricies octies & quinquagies millia aureorum nostrorû quæuis xx proximis annis ex amicorum testamentis percepisset trecenties milles, id est triginta & amplius milliona.
- Prius quàm ab Augusto principe salubri magis quàm ambizioso discedat oratio, facturum me operæ precii existimaui, si cursim legionum numerum, & prouinciarû præsidia, Reges socios, imperij amplitudinè ex Taciti historiarû libro quarto hic adnecterem, ut diligentioribus etiã satisfiat. Ille igitur in huc sensum. Italiã binæ classes infero superoq; mari utraq; præsidebant, Misēsis & Rauēnas. sed & rostratæ naues ad Actium captæ, eam partē Italiæ tuebatur, quæ in Galliam Narbonēsem uergens Alpes maritimas, & Foroiuliensem Coloniam spectat: legiones aut iuxta Rhenum, quæ Gallos, Germanosq; cererēt octo: robur ferè imperij, cū Hispaniæ treis tantū haberent, & Africa q; nisi qua Iuba rex Mauros dono acceptos regebat, duas habuit, Aegyptus totidem. quicquid uero terrarû tractus mari nostro, & Euphrate amne cingebat, uastisq; terrarû sinu ambiabat, quatuor legionibus parebat, regibus Hiberno, & Albano socijs. hinc rursus Europa qua Thracia, & Illyricum magna ex parte prætendebat ad Danubijs ripâ, sex legionibus attinebat: hoc ordine, ut Pannonia duas, duas Mœsi, totidē Dalmatæ haberēt: cum in urbe proprius miles Latio, Hetruriæq; ferè delectus, duodecim cohortes, tres urbanae, nouem pratoriae suis castris attinerent: ut interim per prouincias idoneas sociæ alæ, & cohortium

auxilia

auxilia non deessent, uariante earum numero ex rerum usu. erat igitur triplex classis parata, legiones autem numero septem & uiginti, praeter auxilia ferè sociarum gentium, ac regum totidem.

EX TIBERIO.

**N**Am & seruus Agrippæ Clemēs nomine. de hoc Clemēte sic ferè Tacitus secūdo. Audacia seruitij propè ciuilia arma resumpta, cū Agrippæ Posthumi seruus Clemens nomine in Planasiā uectus Agrippam inde abducere, atq; ad Germanicos exercitus comitari statuisset: sed onerariæ nauis mora praeventus, interfecto statim Agrippa. cineres eius furat, seseq; intra Hetruriæ secreta addēs. Agrippam esse simulat, cui nec forma, nec ætate absimilis erat. Qui ruius mor per Italiā uulgatus cū ancipitem, anxiumq; Tiberiū maxime haberet, tandem per Sallustij Crispi dentes duos uinctus ad Tiberium ducitur. à quo interrogatus quomodo Agrippa factus esset, & tu inquit quomodo Cæsar: quē Tiberius clam necari iussit, nec de autoribus amplius quaesitum.

Et duplex seditio, in Illyrico, & Germania, seditionē in Illyrico autore Tacito Percēnius quidā Theatraliū operarū dux mouerat acerrimā, cū milites in singulos dies singulos denarios peterēt, cū antea denos asses accipere consuescent. peterent etiā ut sextus decimus annus stipendiōrū finē faceret, nec ultra sub uexillis habere, neū in alia castra tralato militi, præmiū pecunia solueret, quādo prætoriani q; binos denarios acciperēt, post sextūdecimū annū militia defungant, nec tamē tantū periculorū, aut laboris adirēt. & paulo post. Tiberiū latitantē, & ad singula pauitantē, nūcij frequētes perpulere, ut Drusum filiū cū primoribus ciuitatis, & cohortibus prætorijs dimitteret. q; pfectus, & uarie iactatus, uix tandē militū animos Percēnio, & Vibuleno autoribus cæsis leniuit, relictis em̄ castris in hyberna cōcessere. & mox idē autor addit. Eadē causa Germanicos exercitus eodē ferè tpe turbauit, petebāt & illi missionem, & præmia. Nec pri⁹ sedari animi eorū potuere, q̄ uicena stipēdia meritis missio sit data, q; sena dena, exautorati. Quinetiā miles in seipm̄ sauijt, neq; nō in ipm̄ Germanicū, donec ablegata Treuiros Agrippina uxor animos eorū mutauit, sic inferioris exercitus Germaniæ placatus, supioris miles maiore mole, quo grauiora in Ceturiones, in legatos populi Romani ausi fuerāt. nā Munatiū Plancū aggressi, q; legatus à Tiberio uenerat, nō prius dimisere, q̄ ille Aquilā cōplexus religione se tueret: ac ni Calphurnius Ceturio subsidio affuisset, raro etiam inter hostes exēplo legatus populi Romani in castris, deorū aras suo sanguine maculasset. Eos tandē Germanicus cōtracto exercitu, cōpararet inuadere cōtumaces literis prius ad Cecinnā missis admonet, sibi cōsulāt, & respiscāt: quod nisi faciāt, & auctores seditionis tollant, uenturū se cū exercitu, & usurū pmiscua cæde, quæ litera occulte significeris, & aquiliferis lectæ perpulere legatū, ut statueret tēpus cædis. sauitumq; passim, quasi ciuili bello in fontes, & ignaros, nec satis noscentes quod cædis initiū, aut quæ causa, quiue finis foret. Donec castra ingressus Germanicus oratione habita, cū satis expiatū diceret, eos in hostes duxit, unde piaculum furoris sumeret, & hostes Ro. populi cædēdo, & uulnera impijs pectoribus accipien-

bus accipiendo. Hæc pluribus ex eo autore addenda curauimus, quo tota hæc pars clarior, illustriorq; fieret.

- » Libonem nequid in nouitate acerbius fieret. is Libo è familia Scriboniorum fuit, unde & Scribonius cognomine dictus, qui per Firmium Catum Senatorē amicitia simulata deceptus, cum magos super imperio consuleret, & Chaldaeorum promissa, somniorumq; interpretes scrutaretur, dum proauum Pompeiū, amitam Scriboniam Augusti uxorem iactat, per eundem Catum post plures testes repertos, qui conscii forent, ad principem defertur, maxime Iunij cuiusdā indicio, qui tentatus fuerat, ut umbras infernas carminibus eliceret. ipse igitur Libo, cum Tiberius eum blande interim appellaret, non uultu, non uerbis comotior, quinetiam conuiuio adhiberet, & prætura ornaret: tandem senatus iudicio condemnatus seipsum, cum omnia prius tentasset, apud Tiberium necauit: factumq; S. C. ut mathematici Italia pellerentur. Idem Tacitus secundo.
- » Q. Haterio. is consularis uir, in senatu decreti faciendi autor fuit, ne uasa auro solida ministrandis cibus fierent, ne uis serica uestis uiros scædaret: qui familia senatoria ante excessum Tiberij decessit, eloquentia quoad uiuit, celebrata, cum tamen exigua scripserit, quippe qui impetu magis q̄ cura ualeret. nam ut in alijs studium ac meditatio plurimum ualet, sic Haterij profluens illud, ac canorum cum ipso obiit.
- » Religiosas uestes cū instrumēto omni comburere, qui uestas legendū admonent, nimis anxie, ne dicā superstitiose rem satis apertā in disquisitionē uocāt.
- » Aboleuit & uim moresq; asylorū, quæ usq; erant. Cōmentarij ex ijs, quæ uidere, legerq; potuerūt, non pauca, nos ex eodem Tacito omnia pleniora faciamus. Ille igitur tertio in hunc ferè sensum. Cum cresceret Græcas per urbes licentia asyla constituendi, quæ seditiones in dies alerent, placitum est ut singulæ ciuitates iura ac legatos mitterent: & cū multi uenissent, qui summo studio certarent, fesso senatu eorū multitudine, res ad COSS. relata, factumq; S. C. quo modus præscriptus singulis est. Iussiq; ipsis in templis aras facere, neu religionis prætextu turbulentissima natio seditionibus fomenta præberet.
- » Maraboduū & Rhascupolim, de Rhascupoli Thrace ex eodem Tacito copiosius hauries. Is autem Maraboduus diu apud Sueuos rerum potitus magna apud suos gloria, mox Catualdæ iuuenis inter Gotthones nobilis uir pulsus ad Cæsaris misericordiam fugit: transmissiq; Danubio magna de se in senatu oratione habita, qua se Pyrrho, & Antiocho regibus æquaret, Rauennæ inglorius consenuit, nimia uiuendi cupiditate imminuta uetere gloria.
- » Afellio Sabino H-S Ducenta. hæc summa quinq; milia aureorum nostratum ualet.
- » Atalanta tabulā, in qua Meleagro illa ore morigeratur, legatā: ut si offenderet, pro ea decies H-S acciperet. decies H-S, non dena H-S significant, sed decies centena.
- » Publice munificentia bis omnino exhibuit, pposito millies H-S. hæc summa quinq; & uiginti centena millia facit nostratia, id est duo millionia, & dimidiū.



- » Satis constat Cn. Lentulum augurem. is est Lentulus, qui cōsularis uir triu-  
 phalia ornāmēta de Getis retulit: primo pauper, dein adeo opulentus opibu<sup>s</sup>  
 innocenter cōparatis, & modeste hābitis, ut quater millies H-S possederit.
- » Condemnatā & generosissimā foeminam Lepidā in gratiam Quirini consu-  
 laris praediuitis, & orbi Tacitus tertio. At Romae Lepida Aemilia familia nobi<sup>s</sup>  
 lissima. L. Syllae, & Cn. Pompeij proneptis, defertur ad principem supposuisse  
 partū Quirino coniugi, quinetiā obiecta adulteria, & uenena. Consultiq; Chal-  
 dai de Caesare. Tandē damnata illa magna Quirini inuidiā, praegrāuāte Tibe-  
 rio, sed dissimulante, aquāq; & igni interdictum, bona cū publicari deberent: ne  
 publicarent<sup>r</sup> Scauri gratia factum, qui filiā ex Lepida genuerat. & paulopost.  
 Celebratum est Sulpitij Quirini funus exequijs publicis. Tamen si nihil ille ad  
 Sulpitiam familiam pertineret, qui Lanuuij ortus modicis parētibus, & opibus  
 militiā darus, & uehemens ingenio, consulatū sub Aug. meruerat. mox Ciliū  
 castellis expugnatis, triūphi insignia meritis C. Caesaris in Armenia comes, &  
 Tiberij cultor, dum Rhodi ageret, hinc principi charus praepotente senecta, sed  
 apud populum accusatione Lepidae & forditibus, inuidiosa.
- » Etiam causam mortis fuisse ei per Cn. Pisonem legatū Syriae fuisse credit<sup>r</sup>. Is  
 Piso Germanico datus est à Tiberio comes, & legatus: qui cum Plancina uxore  
 adeo aperte similtates cum Germanico exercuit, ut repertae sint reliquiae solo,  
 ac parietibus erutae humanorum corporum, tabulae etiam plumbeae, quae deuo-  
 tiones, ac carmina in Germanicum continerent. Donec accusantibus Trione,  
 & Veranio, acerrime autem omnium Vitellio, iudicio senatus dānatus est, ma-  
 gis assentiente Tiberio quā approbante. Piso post damnationem domi in-  
 uentus perfosso iugulo iacente humi gladio, concessa Plancinae uxori incolumi-  
 tate ob preces Augustae, & filio in decem annos relegato. Diuersus ab hoc fuit  
 L. Piso, qui curator urbis sub Tiberio principe fuit, biduo, duabusq; noctibus  
 per potationem consumptis darus, cuius (nisi fallor) constantiam, & autorita-  
 tem in senatu maxime Tacitus commendat.
- » Statuae quidam Augusti caput depresserat. Tu emendato dempserat. idem  
 Tranquillus in Caligula. Diuinam maiestatem asserere sibi coepit, datōq; ne-  
 gocio, ut simulachra numinum religione, & arte praedara, inter quae olympij Io-  
 nis apportarent<sup>r</sup> e Graecia, quibus capite dempto suū imponeret.
- » Seianum res nouas molientem. is eodem Tacito genitus Vulsinijs est, patre  
 Seio Strabone equite Romano, & à prima iuuentate C. Caesari Augusti nepoti  
 percharus. Aduersa fama quasi Apicio stuprum corporis uendidisset, mox de-  
 functo C. Caesare, Tiberio miris artibus insinuatus, adeo principem sibi obno-  
 xium fecerat, ut callidissimum, & obscurissimum alijs, sibi uni incautum reddi-  
 derit, laboris patiens, audaciae nimiae, simulator, iuxta & dissimulator, pro pудо-  
 re, quae palam ostentaret, immensa opum libido: nec minus criminādo, q̄ adu-  
 lando principi, & largitione, ac industria interdū acceptus. his artibus sene circū-  
 uento, primo Drusum Tiberij ueneno tollit dato per Lygdum spadonē, uxo-  
 re etiam Liuiā auxiliante, quae illi per stuprū cognita fuerat. inde in Agrippinā,  
 & eius

& eius liberos conuersus, tacitis eam criminationibus inuoluit, ut tandem relegatam Tiberius interfici iusserit cū Nerone filio, donec ille hōsdem petitus artibus cum filijs enectus sit, quorū corpora in Gemonias sint abiecta.

» Nam Charidem. Tu Charidem emendato: de quo sic Tacitus. Erat medicus arte insignis, nomine Charides, magis ad consilium, quàm ad usum medicinæ, quā princeps omnino negligeret, familiaris. is ueluti negocium suū curaturus, dum com meatum petit, uenas pertentat. nec sefellit Tiberium, qui offensus, ac eo magis iram dissimulans, instaurari epulas iubet: easq; protraxit, quasi honori proficiscentis amici id daret.

» Pars terram matrē, perbelle faciunt uerba Plinij ex secundo ad hunc Tranquilli locum, quæ & subnectenda censui. Sequit̃ terra, cui tantum nomen præcipuæ uenerationis indidimus, matrem appellātes. cuius numen ultimū iam nemini imprecamur, rati graue nimis, ac noxiū: ac si nesciamus irasci nunquàm solere, quæ sola natos homines excipiat, exceptos alat, & editos sustineat. nouissime, cum cætera nos omnia deseruerunt, una adhuc complexa uisceribus suis tanq̃ à reliqua natura neglectos retinet: nunquā efficacius pietatem maternā ostentans, quàm cum sacros nos morte etiam faciat.

EX CALIGVLA.

**L**egiones uniuerfas excessu Augusti nunciato, satis constat eodē Tacito, cū imperiū Germanico oēs assererent cōcionanti, illū quasi scelere suo contaminatum præcipitē tribunali desiluisse, ferrumq; in pectus adegisse, ni proximi sublatā in uulnus dextrā retinuisent, tamen si non defuerint, qui hortarentur, ut feriret: quinetiā Calusidius quidā miles strictum gladiū obtulit, addens uteret̃ eo, qui acutius penetraret. uerū composita seditione, in Germaniam ducto exercitu, bis acie Germanos uincit. Varianos milites sepulturae mandat. Arminiū præcipuæ apud Germanos famæ propter casum Quintilium cum legionibus adeo fatigat, ut liberator ille Germaniæ pulsus, profugusq; tandē propinquorum insidijs petitus occubuerit.

» Omnes Germanico corporis, animiq; uirtutes. nihil dici uerius potuit. nam præter summā eruditionem, ingeniumq; ad poëticen etiam factum, summa in eo comitas erga socios fuit: in hostes mansuetudo, quos uicisse, & ad pœnitentiam uersos satis habuit. his accedebat forma corporis egregia uisu, audituq; iuxta uenerabilis. Dum fortunæ imperatoriæ maiestatem retinet, inuidiam tamē & arrogantiam euitaret. Quare non Romanorum solū ingenti luctu, sed prouinciæ & circūiacentiū populorum, & hostium decessit. Tacitus.

» Cordi Cremutij. Tacitus Cornelio Cossio, & Asinio Agrippa Coss. Cremutius Cordus postulatur nouo, ac tunc primum audito crimine, quod annalibus quos ediderat, dum Brutum, Cassiumq; laudat, Romanorum ultimos eos appellasset. Accusatores autem erāt Satrius Secundus, & Pinarius, ex intimis Seiani: quæ res exitiabilis reo erat. Cremutius igitur, cum se coram senatu defendisset, inde egressus uitam abstinentiā finijt, censuere patres liberos per ædiles, rem mandos. Sic dum ingenium Cordi puniunt, maiorem illi gloriā astruxere.

- » Cum lege luciana apparatus circi emendauimus ex Codice manu scripto, cum elegantia apparatus circi prospicere pauci ex proximis mœnians possent, magna Commentariorū socordia, qui rem non aduerterint.
- » Datōq; negotio, ut simulachra numinum, religione, & arte, inter quæ olympici Iouis, apportarentur egregia, par error cum superiore. Quis enim non uidere potuit non egregia, sed è Græcia legendum?
- » Quin & subinde iactabat exquisitum semel fidiculis de Cæsonia. & hic uidere debuerant, se uel non semel legendum, uel semet, id quod codices manu scripti habeant.
- » Vicies ac septies millies H-S Tiberij Cæsaris .hâc summam ingentē, ac supra fidem esse nemo dubitare potest, qui Tiberij principis tenacitatem, & opes imperij Romani per tot annos ab eo congestas, & prodigum Caligulæ ingenium æstimare non uelit. Vicies igitur septies millies H-S si ad numisma nostrū rediges, sexagies septies millies mille aureos nostrates facit. Græci sex millia septingentas, & quinquaginta myriadas aureorum dicerent.
- » Nec dicendi finem factum, quoad tredecim gladiatores H-S nonagies ignorant addicerentur. hunc locum, dum imprimendū curarem, non satis aduerteram: nūc licendi finem factum scribendum admoneo. Quid sit autem liceri, & quo sensu hic accipi possit, nemo nō (ut opinor) statim aduerterit. nonagies autem H-S est summa pecuniæ nostratis ducēti uiginti quinque mille aurei Veneti.
- » Cassus Charea, hic ille est, qui Centurio Germanici exercitus, seditione, quā mouerant excessu Augusti nunciato, cum eum peterent ad mortem milites, uti reliquos Centuriones, audacia singulari per medios ferro sibi uiam patefecit: unde & salutem adeptus est, magna Centurionū aliorum parte cæsa.

EX CLAUDIO.

**L**egatōq; nō amplius quàm octingentorū H-S profecutus. multi uel apud hunc unum autorem erant loci, unde admoneri poterant differētiæ in numeris, nisi planè conuierent. nam hic octingenta sestertia modicum legatum Augusti principis apparet: plus autem uicies H-S, quod infra à Tiberio legatum dicat: multo autem plus octogies sestertium, quod initu noui sacerdotij coactus est impendere, ex quo ad tantam rei familiaris angustiam decidit, ut in uacuum lege prædiatoria uenalis diu pependerit.

» In delibatorio, adeo iam notum esse poterat quid diribitorium sit, aut unde dictum, ut qui delibatorio legant, parum certe uidisse dici iure possint. nam & Dion in historijs latinum nomen hac appellatione dixit. iam uero & diribitores pro diuisoribus pecuniarum Ciceroni notius est, quàm ut explicari latius debeat. Est autem Diribitorium publicæ ædes, in quibus exercitus recensent, & stipendia militibus diriberentur, id est distribuerentur, in quibusdam Italiae locis etiam usitata.

» Constituit pro cōditione cuiusq; diuis uacationē legis pappiæ poppæ. quæ lex esset pappia poppæ, unde uic dicta, mox planius. illud interim admonere lecturos hæc uolui, corruptā hæcten<sup>9</sup> Trāquilli lectionē uno alteroue loco similē nec legem

nec legem pompeiã legendum, sed papiam poppæam iunctim. in quo nõ possum non mirari negligentiam multorum, qui sine testibus in causa dubia, & incerta in forum descendant. Fuit igitur Poppæus Sabinus consularis, ac triũphalis uir insigni memoria, auus maternus Sabinæ poppææ. Vnde illa etiam dicta Poppæa: nam patrẽ Ollium honoribus nondum functum amicitia Seiani sub Tiberio peruerterat. Hic igitur sub Augusto principe legem seuerissimã de maritandis ordinibus tulerat, qua sexagenarij tantũ non tenerentur, cui capiti postea à Claudio abrogatum infra Tranquillus asserat. Hæc autẽ iunctim papia poppæa dicta uidetur, quod cum Papius legem contra adulteros tulisset, ac de matrimonijs etiã sanxisset, cuius & Aufonius præter alios meminerit, Sabinus Poppæus eandẽ retractarit, grauioribusq; pœnis additis, sanxerit frequẽtanda matrimonia. Vnde & lex postea à primo autore papia dicta: postea de Sabinio Poppæo papia poppæa iunctim appellata est. quã senior Aug. post Iulias rogationes incitandis celibum pœnis, & augendo ærario sanxerat. Hæc uero legem Tacitus frequẽter citat maxime in tertio. Admoneri etiã poterant saltem infra legem hanc non de ciuitate, aut aliquo iure alio q̃ de maritandis ordinibus agere, cũ Tranquillus dicat capiti legis abrogatum à Tiberio quasi sexagenarij generare non possent. Cæterum instituti nostri non est acrius aliorũ errata castigare, & eorũ maxime, qui in Trãquillum scripsere cõmentaria. quorum alter adeo breuis est, ut etiã intra Commẽtarij leges constiterit, alter adeo redundans, ut fabulari sæpe uideri possit. ita fit, ut aliud agendo, male interdũ agat. uerum ipsi uiderint.

- Capiti papiaæ pompeiaæ legis. idem error, atq; ideo ad superiorem normã redigendus.
- Aulo Plantio etiã ouationẽ decreuit. hic est ille Aulus Plantius, qui consulariũ primus Britaniæ præpositus est, bello egregius. is redacta paulatim in prouinciæ formam proxima insulæ parte, Ostorio Scapula imperiũ decedens reliquit. Cuius & Tacitus meminit: sed & Tranquillus in Vespasiano, duas ualidissimas gẽtes, superq; uiginti oppida, & insulã Vectẽ Britaniæ proximã in ditionẽ redegit: partim Auli Plantij cõsularis legatis, partim Claudij ipsius ductu.

## EX NERONE.

**N**Ec ante cantare destitit, q̃ inchoatũ absolueret nomon. Hic desiderari interpretis diligentia potest. nam quid nomos esset tam nescijt, quã facile dissimulauit. significat autẽ apud græcos nomi cum multa alia, tum uero in musicis certam quandã legem, ac rationẽ canendi, ut tamen tibicinum & citharæodorũ præcipue sint, unde & τυρσητικοὶ & κιθαρητικοὶ dicti. primus autẽ Terpander autore Plutarcho citharædicos nomos instituit suis, atq; Homerij uersibus mele adiungẽs. Clonas autẽ post hũc aulodicos inuenit, id est tibiales. & ea, quæ græci προσώδια appellat: quæ postea Polymnestus Colophonius imitatus sit. nomisq; postea diuersa imposita sunt noia, quæ ex Plutarchi libello, ubi musicen persequit, quæras. Illud etiã scitu dignũ, ex græcorũ commentarijs inuenias primos ab Apolline citharædicos nomos inuẽtos, quibus ille & uitã hoibus pro-

duceret, & in multis canendi suauitate feritatem tolleret. unde factum, ut Aristoteles est autor, ut modi, ac canendi rationes quædã, quibus canentes utimur, nomini iam usitato græcis uerbo dicantur. Verum de his aliàs.

Si paulum subbibisset, aliquid se suffertim tinniturum. nec scire fas est omnia, & lyncei etiam cæcutiūt: ubi tamen offucias facis, in eo reprehendi dignus. Quis enim nõ stomachetur, quod hoc in loco gannit interpretes? Verum ipse uiderit. Ego suffertim lego, aduerbiumq; eadem forma statuo, quæ latinis frequēs uiritim, singillatim. significare aut hoc aduerbium puto, quod plenum & grandius sit, huiusmodi sensu: promittebat Nero simul ac subbibisset, fore ut plenius, & grandius tinniret. Suffertum autē, ac differtum plenum significare Senecæ uerba, & Horatij probant, ut alios omittã. Ille em̄ sole nubem suffertã dicēdo, hic cauponibus, & nautis differtum Appij forū, ostendūt plenitudinē hoc nomine intelligi. sed & Tacitus frequēs differtū usurpat pro maxime pleno.

Super ingenuorū proagogia. non pædagogia, aut pæderastiam, quod cõsinit interpretes: sed proagogia legendū quiuis uel mediocriter græcas literas edoctus agnoscat. sunt aut proagogia græcis, quæ latinis perductiones: & quod illi προαγαγεῖν, nos perducere diximus, id est lenocinari, & lenociniū facere. adeo autem & latini, & græci scitent hoc uerbo, ut consulto exemplis abstineam, & alio qui admonere tantū lectorem uolumus.

In Tyridatem, quod uel uix credibile uideat, octingenta nummum millia diurna erogauit, id est uicena milia aureorū nostrorū: quemadmodū, quod aleam luderet quadragenis in punctum sestertijs, id est denis millibus in singula puncta significat. quod aut addit abeunti contulisse millies H-S, innuit xxv centena millia donata. ut nõ sit mirandū, quod Tacitus de eo prodiderit, quatuordecim annis, quib⁹ in imperio fuit, bis & uicies millies H-S, donationib⁹ effudisse.

Armillata & phalerata Mazacum turba. Si ex his nonnulli qui nostra tempestate aliquid scripsere, modestiam, atq; ingenuitatē retinere uoluissent, profecto melius latinæ rei consulissent, nec multa inuertissent. qualis est hic locus, in quo codices oēs Mazacum habent: quod cum illi nõ intelligerēt, amaxicorū, & mille alia huiusmodi mōstra substituerunt. ego Mazacum lego, & ex Cappadocia seruos, unde ingens Romæ copia. interpretor, qui & Cappadoces appellantur ab Horatio eo uersu, Eget æris Cappadocum rex. Dicti aut Mazacæ (ut arbitror) ab urbe eorum regia Mazaca, quæ in medio totius Cappadociæ posita, cum multis alijs indigeret, tamen propter situs commoditatem, & lignorū, ac lapidum, & herbæ copiam delecta ab his fuerat, in qua reges habitarent, unde & mater urbium ab his dicta, quæ tamen postea sub Argæum montem posita, cæsarea sit appellata, cui magnus Basilus postea præfuit antistes. Erit igit Tranquilli sensus, quod Nero frequenti Cappadocum seruorum copia stipatus incederet, quos Mazacas ab urbe eorū primaria etiã appellaret.

Si quidem icunculam puellarem. perridiculum est, quod de acu, seu acuncula Commentarij ganniant. Tu icunculam legas ἀπὸ τῆς ἐικῶνος forma diminutiua pro parua imaguncula. Iam & Pli. iconicos agnoscit duces. qui sit autem ἐικῶν apud rhe/

apud rhetores, non est præsentis loci, & res alioqui satis celebris.

EX GALBA.

**V**T secum uehiculo proximo decies sestertium in auro efferret, id est uiginti quinque millia aureorum.

EX OTHONE.

**A**Nte paucos dies seruo Caesaris pro impetrata dispensatione decies HS expresserat, nullus (uti opinor) locus expressius differentiam inter dena HS & decies HS aperit. Nam si idē significarent, quo pacto quindecim spiculatoribus dena repræsentari poterant? decies igitur HS cū quinque & uiginti millium aureorum reddant summam, dena singulis numerata sunt, id est ducenti quinquaginta aurei. sicque expensa ex ea summa quinque ferè millia sunt.

**N**ec quicquam prius pro potestate subscripsit, quàm quingentes sestertium ad peragendam auream domum, id autē facit duodecies centena, & quinque millia aureorum nostrorum, quæ summa sicui incredibilis uideatur ad absolutio- nem domus, æstimet ille secum id magis mirū, quod de M. Scauro Plin. scriptū reliquit, bis millies HS uilla incendio Scauro periisse.

EX VITELLIO.

**A** Carpathio usque freto. Quis non uideat nequaquam probari id posse, quod plerisque à Parthia arrideat, cum freto Carpathio bene sanè legatur?

EX VESPASIANO.

**E**T tamen nec sic quidem pristinae cupiditatis infamia caruit. Alexandrini Cybiotatē eum uocare perseuerarunt cognomine unius è regibus suis turpissimarum sordium. Erat certe officium boni interpretis, ut qui nam hic tandē fuisset, aut undē illi cognomen tam sordidum astructum esset, explicaret. Nos Cybium Plinio Martiali concisam pelamydem appellari scimus, unde frequēs Plinio nominis usurpatio inter præcipua falsamēta, corrupta etiam apud Varonem lectione. Credidit Festus dicta à cuborum similitudine, qui cum æque in omnes partes pateant (quadrata enim ad lusum aptæ sunt) ita etiam piscantes hoc genus piscis, aleam ueluti ludāt. hic autem quem Cybiotatem appellatum dicit Tranquillus propter eius illiberalitatem, non unus fuit ex Ptolemæis regibus, sed è Syria ducens originem, qui à filia maxima natu Ptolemæi Auletæ expulsi à suis in uirum accersitus, non multo post ab ipsa expellitur, cum eius ignobilitatem, atque illiberalitatem pati non posset. Strabo, unde illi ab ordinandis cybijs, quæ forte ipsemet familiæ dispensaret, merito sordidissimum cognomentū adhæsit: quo & Vespasianū principem, ut sunt Alexandrini dicaces, propter eius auariciā asperserūt: quemadmodū & Syriæ regi Physcon cognomentum fuit à crassiore intestino, quod multa caperet. Illud etiam ex Athenæo addes, Salsamēta græcis duum esse generum, horæa & Thunnia, id est è thynno salsa caro thunnina uulgo dicta: Horæum uero quasi tempestiuū esse dictū, cuius macra pinguibus præferant, cū in thunnijis macris pingua præponant, quæ

ε 5 cybia nun-

cybia nuncupent. horrea aut ex pelamyde, id est lutaria minore fiunt, Thunnia ex maioribus. Sit aut idem uræum, de quo Plin. cum horæo, mox aliâs.

EX TITO.

**C**um ex instituto Tiberij, Aurelius Victor in hanc sententiâ, dehinc cum do-  
nata concessaue à prioribus principibus firmare in sequentes solerent: si-  
mul ut imperium cepit, talia possidentibus edicto sponte cauit, uel concessit.

EX DOMITIANO.

**N**am uenatores, gladiatoresque & noctibus ad lychnos, par error cum eo, qui  
in Cæsare dictatore inoleuerat: restituenda igitur lectio, & lychnuchos  
legendum, ut admonui.

Edixit ne quis in Italia nouellaret, utque in prouincijs uineta succiderent. Aliâ  
Philostratus asserit edicti causam, præcipue in Asia, quod homines uino nimium  
indulgentes, seditiones excitarent: quare & Domitianus id etiâ in tota Asia  
uetuerat. Verum Scopeliano sophista celeberrimo legationem cõmuni Asiæ  
nomine suscipiente, & restituta uites, & donatus est ille amplissimis à Domiti-  
ano muneribus, admirate in primis uiri copiam, & ubertatem dicendi. Illud eti-  
am scitu dignum, prouincijs quibusdam à Probo imperatore concessum, ut ui-  
neas alerent.

Subsicia quæ diuisis per ueteranos agris carptim superfuerat. Quid subsici-  
uum seu subsiciuum, sit notissimum grâmaticis est. subsiciuum autem ager, de quo hic  
agitur, Boëtio is est, qui secundum proprias determinationes ascriptus in finibus  
suis tabulario Cæsaris infertur, & qui beneficio concessus, aut assignatus coloniam  
fuerit: siue is proximus, siue longius positus: quem colonia in tabulario Cæsaris  
manu conditoris subscriptum habere debet. Item ager similis subsiciuum est, qui  
non assignatus Reip. populoque, aut coloniam, cuius sine circumdatur, remanet in  
eius potestate, qui assignare potuerit, hoc est principis. Vnde inter XIII cõtro-  
uersiarum genera illa uel præcipua est, quæ de subsiciuis agris oritur.

ANNOTATIONVM IO. BAPTISTAE EGNATII  
VENETI IN C. SVETONIVM TRAN-  
QVILLVM, FINIS.